



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicis totius anni


Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1687

LII. In Domin. XXIII. Post Pentec. Puella dormit. Arg. Soporiferum propinatum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)



CONCIO LII.

IN DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

Puella dormit.

ARGUMENTUM.

SOPORIFERUM PROPINATUM,

I. **A**ud sam effron-
tes Parca sunt, ut
vulgò à pictori-
bus, atque Poëtis
adumbrantur; nec
tam inhospitales,
quin commercia,

ac societatem admittant. *Aud.* Suis & illi feruntur amoribus, suis congaudent fraternitatibus. Somnus certe, quem nos ipsi deperimus, eam cum morte affinitatem obtinet, ut ipsius, & simulachrum, & frater, quàm Poëtarum carminibus, quàm Philosopherum argumentis, quàm sacrarum literarum oraculis habeatur. Et sanè, non sine Numine inter lectum, & Lethum; inter thalamum, & tumulum, ita omnis, ut nominis affinitas est. Nam quemadmodum morituris, sic dormituris omnis vestium ornatus detrahitur. Ut isti in grabato; sic illi in sandapila resupinantur; oculis clausis, manibus compositis, porrectis pedibus, omnique externorum sensuum officio destituti. Ut in illis, sic in istis oblivio, & ignorantia præteritorum omnium comita-

tur. Ut à dormitione somni, sic à mortis lethargo tandem excitabimur. *Canet enim tuba (surgite mortui) & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.*

Noverat id probè Christianus Philosophus Justus Lipsius, qui morbo in gravelescente, ut decumberet, ex medicorum imperio coactus, & vi mali victus, in eorum descendens sententiam, ait: *Ad lectum, ad Lethum.* Affine existimans vel illum conscendere, vel huic cedere. Eam ipsam ob causam arbitror Assertorem nostrum, in hodierno Evangelio, posuisse unum pro alio, dicendo: Non est mortua, sed dormit; quia nimirum illico, tanquam à somno surrectura. Sola inter utrumque fratrem differentia est, quod unus eorum profundior sit, ac diuturnior, alter brevior, ac mitior.

Cum itaque & nos indormituri simus tandem profundiore somno, & hic disparatus sit, suavis nimirum, ac gravis; videamus, quinam sub vespere hujus vitæ suavissimè, ac pacatissimè obdormituri.

Mortis &
somni cog-
natio.

§. I.

Labor suavem conciliat somnum.

Labor somnum conciliat.

Eccle. 5. 17.

II. SI sapientissimi Salomonis senatum consulimus, omne soporis suavioris condimentum labori adscribet, dicens: *Dulcis est somnus laboranti, si ve multum, si ve parum comedat.* Egreditur mane operarius securi armatus; & totum diem transigit in findendis, aut deasciandis lignis, vesperi domum rediens, prosternitur super nudum asserem, & mollius quam alter smydirides in plumis requiescit. Egreditur alter ferrarius, ac impigrè ad asseres findendos laxat humeros; & quantum vis pane mucido, & lymphâ refectus sit, attamen multò dulcius, atque alter quispiam vino crapulatus, aut escis refertus resupinatur. Egreditur tertius ad campum, metitque totius diei ambitu falcibus fruges, tandem sub crepulo, obvio in cespite sternitur, solo cælo tectus, & ipsimet labores, ac ærumnæ suavissimum illi, arctissimumq; somnum conciliant. *Dulcis est somnus laboranti.*

Neque id de corporali duntaxat accipiendum est sopore, sed multò auctius de spiritali quiete animi, ac somno iustorum interpretandum est: Dulcis est somnus studiose in vinea Domini laboranti.

Gen. 2. 2.

III. Libri Geneleos textus est: *Requievit Dominus Deus die septimo, ab omnibus operibus suis, quæ patrauerat.* Ille qui operatur omnia in omnibus; ille in quo vivimus, movemur, & sumus; ille qui eodem modo afficitur, quum vacat atque cum operatur; ille inquam dicitur ab omnibus operibus quietus. Quid hoc? Numquid in Deo datur pigra vacatio, (loquor cum D. Augustino) aut laboriosa cogitatur industria; qui novit & quiescens

agere, & agens quiescere? An non æterna, & incommutabilis ejus voluntas est, nullo consilio alternante vanata? Ita sane. Non remansit lassus universi Architectus ex omni opere suo, sed speciebus substantiarum naturalium productis, cessavit ab aliis per se immediate producendis, virtutè dispensans omnibus substantiis perfectis, quatenus sibi similes producerent. Hunc finem sacer textus nuncupat quietem; nos ex mente ejusdem S. Patris edocens, quod sicut universi Opifex attingens à fine, usq; ad finem fortiter, non nisi coronato omni opere suo quievissè dicitur: ita homini secundum exantlatos non nisi labores quietem, ac præmium expectandum. Non enim fatigatus erat Deus, scribit ille, ut diceretur: *Requievit Deus; sed in illo verbo tibi laboranti requiem promissit.* Ostendit hac loquendi formula Spiritus S. non otio inerti torpentibus, sed egregiè desudantibus, cælestem adornari thalamum. Studiosis dispensatur Laurus Musis, & à fessis operis Divum pulvinaria occupantur.

IV. Doctor Gentium D. Paulus in Epistola sua ad Hebræos eundem textum in hæc verba adducit: *Et quidem operibus, ab institutione mundi perfectus, dicit in quodam loco, de die septima sic: Requievit Deus die septimo ab operibus suis.* Ex quo contextu hanc sequelam infert: *Itaq; relinquitur populo Dei Sabbathismus, qui enim ingressus est in requiem ejus etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut à suis Deus.* O quam pulchra, & concinna argumentatio in rem meam est ista? sicut, inquit, Deus defunctus opificio suo, quievit, & Sabbathum quoddam celebravit, pari ratione populus ipsius electus, ab omnibus operibus suis, & lueta

Aug. in Gen. lib. 4. c. 9.

Heb. 4. 3.

Ibid. v. 6.

luctatandem feriasaget. Itaque relinquitur populo DEI Sabbathismus.

Homo. ja-
sus condit
novum or-
bem.

Gen. 1. v. 3

V. Homo justus dū vivit Deum quā-
dantenus amulatur in creatione, & ut
ille materialem hanc machinam ex
Chao nihili eduxit, ita ipse spiritualem
architectatur. Prima die condidit De-
us lucem, Dicens: *Fiat lux.* Idem suo
modo facit homo justus, quando verā
fidei actus elicit, in lumine illius ambulat,
opera tenebrarum fugit, omnibus
operibus suis intentionem rectam
præfigit. Altera produxit dominus firmamentum:

Ibid. v. 6.

Fiat firmamentum in medio aquarum. Imitatur id ipsum homo
rectus, cum voluntatem firmissimam,
ac propositum immutabile concipit
Deo adhærendi, nec unquam manda-
ta ejus transgrediendi, cum Psaltes di-
cens: *Iuravi, & statui custodire judicia
justitiæ tuæ.* Tertia luce separavit Do-

Psal. 118.

Ibid. v. 9.

minus terram ab aquis, & apparuit a-
rida: *Congregentur aqua, quæ sub cælo
sunt, in locum unum, & appareat arida.*
Præstat hoc homo fidelis quando
actiones temporales, transitorias, flux-
as dividit & discernit à spiritualibus,
& æternis, suum tempus, & locum
attribuendo illis & istis. Quarta pro-
duxit solem, & Lunam dicens: *Fiant
luminaria in firmamento cæli, & dividant
diem ac noctem.* Et hoc quomodo con-
ficit homo pius, ac rectus? Quando
charitatem Dei & proximi elicit. Re-
ctè enim soli amor Numinis confertur
qui temper idem esse debet, & in-
variabilis. Nec minus bellè Lunæ amor
proximi; quæ jam plena, jam semiple-
na, jam cornuta apparet; ita, & hic jam
cornua assumere cogitur, cum redar-
guit transgressores; jam plenè sese ef-

Ibid. v. 14.

fundere, & communicare alteri, jam
ex dimidio. Quinta creavit Dominus
piscis maris, & volucres cæli: *Producant
aqua reptile viventis, & volatile super
terram.* Id etiam imitatur homo re-
ligiosus, cum per contemplationem
jam sese demergit in abyssum justitiæ
divinæ, & tormenta purgatorii, ac E-
rebi expendit; jam velut aquila sese in
sublime attollit; & misericordiam ip-
sius infinitam, sapientiam inscrutabi-
lem, majestatem incomprehensam me-
ditatur. Sexta demum condidit Nu-
men optimum animalia cœtera, & ho-
minem, cumque constituit super om-
nia opera sua. *Faciamus hominem ad
imaginem & similitudinem nostram, ut
præsit piscibus maris, & volatilibus cæli,
& bestiis terræ.* Nec in hoc deficit in-
dustria hominis sancti, omnia ille sibi
subiicit, indomitas passiones corporis,
tanquam feras quispiam infrœnat,
non ex libidine sed ex ratione cuncta
administrat. Quid itaque eum manet?
Relinquitur sabbathismus populo dei &c.
Ut quemadmodum Deum suum imi-
tatus est pro sua parte in opere, ita eti-
am fructum capiat in quiete.

Ibid. v. 20.

Ib. v. 26.

VI. Ex Aristotele, D. Thoma, &
ipsa experientia colligimus naturas u-
niversi sic esse dispositas, ut quod minus
quæpiam movetur, minorem in dipi-
catur beatitatem, quod magis, ac velo-
cius auctiorem. Illud compertum ex
herbis, lumbricis, limacibus, aliisque
insectis; istud ex cervis, aquilis, aliis-
que animantibus impigerrimis. Idip-
sum evenit homini tum in temporali-
bus, tum in spiritualibus functionibus.
In temporalibus impiger, & industri-
us artifex abundat omnibus, piger, &

Motus cau-
sa beatita-
tis amplio-
ris.

torpidus eger; servum torpentem, aut ancillam vix quisquam suo servitio dignatur. In spiritualibus non minus quando quisque studiosus fuerit operatus, tanto tunc maiorem requiem, opulentiorē mercedē, beatitatem insigniorē est indepturus. *Relinquitur itaque sabbatismus, &c.*

*Spiritus Sc.
ad quietem
operantes
invitat A-
pos. 14.*

VI. Ad hanc quietem Spiritus Domini Operarios suos strenuos apud dilectissimum Domini discipulum invitat dicens: *Ut requiescant à laboribus suis.* Ille utique Spiritus qui est in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium: *Amodo jam dicit, ut requiescant: O filii mei electi, & dilecti, sat datum operi, sat labori, dispensate ferias manibus, absterge frontem, refocillate membra, requiescite à laboribus vestris.* Amodo jam dicit Spiritus: *Ingredimini januam immortalitatis, conscendite thronum gloriæ, occupate thalamum securitatis, ac latitiæ. Dormite jam, & requiescite, non ultra appropinquabit, qui vos tradet, qui vos infestet, qui vos suscitret, quoad ipsi velitis. Nullus hic Baana & Rechab, qui litantes quieti, perinde ac Isboseth jugulent meridianem. Nullus hic Mercurius, qui quidpiam surripiat sopore meritis. Nullus Morphæus, qui ludicris illudat phantasmatibus. Requiescite securè, pacificè, suavissimè à laboribus vestris.*

Hoc invitatorium si audire animus est, hac quiete si frui allubescit operemur dum tempus est, quoniam instat nox in qua nemo potest operari. Non cedamus operariis in lucrum suum intentis; non vincant nos opifices in officina sua cum galli cantu desudantes; non superent fures, ad clependum aliquid proximo pervigiles. *Dum tempus*

est operemur bonum. Mitigat labores ipsorum spes lucri, aut mercedis, levet nostros fiducia quietis & æternæ beatitatis. *Dum tempus est operemur bonum.* Demus illas horas Deo, quas alioqui dicere confreyimus fabulis, atque alio inertis. *Dum tempus est, &c.*

S. II.

Lectisternia conducunt ad quietem.

VII. **S**I propositæ quæstioni insistamus, & aliis decidendam obrudamus, dicent credo lectisternia ad quietem haud modicè conducere. Tritum est illud: Mollius dormit, qui sibi mollius sternit. Suavius in gossipio & plumis, quam in petra aut dumis somnus capitur. Infixum hoc altè quondam fuerat puellis, ideoque anseres insequentibus deciduas colligebant plumas; jam verò stramen colligere coguntur, atque eidem incubare, quæ ob desidiam id facere detrectant.

VIII. Attamen quum & plumæ suos aculeos, & rosæ suos habeant nodulos, quibus effœminatos sardana-palos, atque Heliogabalos fodient, quodnam quæso pulvinar illud est, in quo quisque mollissimè, ac lapidissimè conquiescat?

De Regibus Persarum refert Atheneus, ad caput lectuli regii eos reposita habuisse quinquaginta millia talentorum auri, & hæc gaza pulvillus regius dicebatur. Bonum revera, ac pretiosum pulvinar, cui ego jure Epigraphè adscripsero: *Dormi secure. habes multa bona posita in annos plurimos requiesce, comede, bibe, epulare. Nihilominus lego, quod in hoc resupinatus Nabuchodonosor tristes quospiam morphæos, ac Lemures passus sit: *Recebit somnus;**

*Cervicella
Persica
quæ A-
thas. l. 5.
Dymolop.*

Dan. 4. 2. *somnus, ab oculis meis cogitationes & in strato meo, & visiones capitis mei conturbaverunt me.* Unum somnium, in tam pretioso cervicali, omni ex oculis exsuffo sopore acerbissimum in animum induxit mœrorem. Inventus est in aurea culcitra, non jam nodulus, aut aculeus, sed bipennis ad arborem apposita, quæ uno ictu omnem animi pacem jugularet. Ita nimirum ad latus opulentia, nunquam non tetræ accubant curæ, arctissimisq; deliciarum, ac divitiarum amasios stringunt amplexibus.

Eustat. Com. in odys.

IX. De Achæo Callione meminit Eustatius, dormituum consuevisse fictile vas, pulvinaris loco supponere; & duritie ipsius offensum idiplum paleis fartisse, imaginaria sese consolans mollitie. Ut vero hoc palmaris stultitiæ inventum erat; ita non minus cervicalia impiorum spebus in anibus referta. *Spes impij, sicut lanugo,* inquit sapiens, *quæ à vento tollitur.* Non emolliunt testam, Vulcano mancipatam paleæ, sed undæ. Flammis ac paleis occalescit, flumino liquefit argillæ opificium. Inardescis mi figule in opere tuo mollius quiescere, torrentes affunde, quo & flammæ offoces, & callum cordis tui mitiges.

Sap. 5. 15.

X. S. Marcus decumanam in mari Tiberiadis tempestatem inducit, qua discipuli cum Domino in summum proximumque discrimen naufragii sunt adducti. Quis tunc clamor natarum, seu remigum fuerit, norunt illi, qui nonnunquam æquis conflictati sunt procellis. Clamabat Petrus demittite carbasa, carbasa solvite ocius; replicabat Andreas clavum ad septentrionem ad septentrionem; exululabant alii juvate, juvate; His similibusque

vocibus totum reboabat navigium, Domino interea suavissime indormiente. *Et ipse erat in puppi, super cervical dormiens.* Non inquiri hic causas, aut mysteria somni hujus arcanissimi, unum duntaxat scire ambio, quodnam illud fuerit cervical? Et quidem si literam spectemus teste Euthymio ligneus truncellus erat: *Erat, ait ille, cervical illud ligneum in puppi fabricatum.* Neque enim vel in solo, vel in salo Dominus delicias quærebat, cum nusquam quid proprium haberet, ubi caput suum reclinaret. Si verò ad spiritum, & mores referamus, juxta S. Bernardum: *Lectulus respersus floribus bona conscientia est, bonis referta operibus.* Vel ut loquitur D. Prosper: *Lectus est (conscientia) in quo periculis concussus requiescit, molliterque cubat animus.* Vel ut Barradius interpretatur: *Cervical molle, blandumque pulvinar, supra quod vir probus dormit, bona est conscientia.* O quam præclarum, quam optandum est hoc cervical, in quo suavissimè, ac securissimè resupinat, quisquis vel in vita vel in morte illud obtinet. Sæviant Austri tentationum, acerque procellis Africus ingruat, impetu tribulationis infestet Eurus, Notusque curarum flabellis, ipse tanquam inter Alcedonia ad portum securæ, æternæq; beatitatis enavigabit. Etenim ut loquitur sapiens. *Non contristabit justum, quidquid eidem acciderit.* Uelut occidit Lyricus:

Justum & tenacem propositi virum
Non civiū ardor prava jubentium,
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solida, nec Austri
Dux inquieti turbidus Adriæ
Si fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinæ.

Mar. 9.

Euthym. h. l.

Conscientia bona cervical

Bern. l. 47. in Cant.

S. Prosper. l. 2. de vita Cont. c. 18.

Barrad. h. l.

Prov. 12.

Horat.

2. Cap. I.
12.

XI. Hoc in Cervicali suavissimè inter tempestates persecutionum quiescebat Doctor Gentium, & de illo gloriatus est in Epistola sua ad Corinthios, scribens: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientia nostra.* Nullum theatrum mihi gloriosius conscientia propria. Nullum asylum securius eadem. Hæc est summa boni mens, quæ sibi conscientia recti.

Surius in
Vita.

Ang.

In eodem recubuit gloriosissimus Martyr Tiburtius in tormentis, qui mirum in modum tortus, perinde ac inter epulas constitutus Tyranno improperabat: *Omnis nobis vilis est pœna; ubi secuta comes est conscientia.* In eodem deliciabatur Affricanus Præsul, cum suos explodens adversarios, diceret: *Senti de Augustino, quidquid lubet; sola me in oculis Dei conscientia non accuset.* Infames illum ut voles, detrahas, & calumniaris illum, ut voles; sola illum duntaxat non convincat conscientia, actum ages; ridebit, exsufflabitque omnia.

Eadem ratione, quivis alter inter pericula, vel in ipso mortis agone constitutus sibi occinet: *Senti quidquid voles de me, non curo mundi sensum, dummodo conscientia non præbeat consensum. Velis ei erit omnis afflictio, & pœna, ubi secuta comes erit conscientia.*

§. III.

Somnus ex cibo, potuque.

XII. **S**I progrediamur ad viros, accedent hi credo sententiæ Aristotelicæ. Docet hic evaporatione cibi, ac potus ex concoctione stomachi provenientem esse causam somni. Ascendentibus

enim caput vaporibus, & membratâ replentibus spiritus animales torpidi redduntur, meatus primi sensorii sensus communis obdurantur, cumque ea de causa non possint spiritus animales sensibus exterioribus communicari; fit ut careant sua operatione, & consequenter dormiant, idque vel suavius, vel gravius juxta cibi proportionem. Hinc dico sententiam bene multi tuerentur, ac sequuntur, quos non nisi madidos somnus occupat.

Somnus
in potu.

XIII. Verum si ita est, quidquid in contrarium sentiat Averroes cum aliis; agite, dicite quisnam cibus, potusve hunc in finem aptior, habiliorque, atque corporis, & sanguinis Domini?

Tentavit modis diversissimis divinus Amor, obsterriente sibi omnipotentia divina exaturare, atque ad quietem componere hominis sibi dilecti præcordia, atque in eum finem omnia prope penuria sua evacuaverat.

Primum erat mundus ipse, ex quo omnigena alimenta, eidem dilecto suo suffecerat. Tellus enim perinde ac vivarium quodpiam, Alces, Cervos, capreas, Lepores, Uros, aliasque feras ministrabat; Nereus cum tota sua amplitudine in stagnum quodpiam eidem concessit, piscesque offerebat; Aer veluti auceps volatilia aggerebat; Ignis archimagyri officium obibat. Quid ad hæc homo? Num contentus tam liberali, tam munifico prædio, ac convivio? Num sese ad quietem componebat? Neutiquam. Famebat etiamnum, & latrante stomacho exululabat: *Affer. Affer.* Iam silvas venatione expilaverat, jam maria, lacus, flumina piscatione exhauserat; jama

jam ex aëre aves dejecerat, & etiamnum hiabat. Unus Lucullus sub unam Cœnam Cæsareos redivit decoxerat, famebat, insaniebatque ultra; Una Cleopatra regna propinaverat Antonio, & nihilo minus sitiebat. Non invenit Divinus Amor in totius mundi promptuario, quo fauces hominis infarciret, hiante etiamnum inter tot cupedias famelico, nec quiescente.

Quid egit? O divinam, stupendamque inventionem! Ex se, suisque visceribus apparavit illi embamma omnium delicatissimum, pretiosissimumque. Quid dico? Dedit illi panem habentem omnem suavitatem, & condimentum saporis; dedit se ipsum, dispensavit corpus suum in cibum, sanguinem in potum ad sedendam orexim ipsius, ad componendam eum ad quietem ac soporem suavissimum. Ad soporem inquam conciliandum non tam hujus, quam æternæ vitæ.

ap. 6.9. XIV. Scribit Author Apocalypses, se vidisse sub altari animas SS. Martyrum interfectorum. Mirum profecto, quod fortissimi athletæ ibidem abscondantur? Angulos, & latebras petant imbelles, qui terga verterunt inimicis fugâ turpissimâ; robustus miles, qui gloriose certavit, palmamque demessuit, os, vultumque prodat. Cur ergo non in circuitu throni videntur cum Angelis, & cœlestis militiæ principibus. Annon quod Altari, quod S. Synaxi in acceptis referant suas victorias, & gloriam, ac gloriam opulentam. Hæc enim fortes ad certandum, invictos ad sufferendum reddidit. Ideo merito sese devotos, deditosque vel iplo situ profitentur.

XV. Audistis itidem quanta conturbatio infederit mentibus, concussitque Apostolorum animos, manifestante Domino proditorem unum esse ex ipsis: *Vnus vestrum me traditurus est.* Circumspexere hic sese invicem, & humanæ fragilitatis conscii percellerantur, ne vel ipsi insontes in tantum scelus prolaberentur. Intæ hæc epulatur, & cæna peragitur; cum S. Joannes supra pectus Domini resupinatur, suavissimèque quiescit. Numquid simile quidpiam legistis in tota vita Christi Domini? Numquid unquam antehac tantæ gratiæ tesseram cuiquam ex suis communicavit? Nihil minus. In sola cœna, imò sumpto jam epulo Eucharistico, Joannem nomine, & re gratiosum tanto munere beneficij dignatus est Dominus. Quorsum istud? Si divinare fas est, eò sane, ut hoc iplo mysterio demonstraret, qua via ad veram securissimamque quietem perveniendum. Etenim nullibi tuta quies, quam in latere salvatoris, ita nulla certior ad petendam illam via, atque digna susceptio Epuli Eucharistici.

XVI. S. Chryostomus testatur, *Chrysof. l. 6. de sac. c. 14.* (cui sese non pauci alii subscribunt,) vidisse animas eorum qui sumpta S. Communionem obierunt, rectâ ad cœlos per angelos deduci. Et inde hanc sequelam format, seu doctrinam elicit: *Si quis purâ conscientia ante mortem se communicaverit; propter assumptum illud sacramentum rectâ ad cœlum ab Angelis deducitur.*

Quod citra dubium evenit illi *Ex lib. Ann. Prov. Brasili 15.85.* veni Indo recens converso ad fidem, qui sumptâ Eucharistiâ in tantum ex-

arsit cœli desiderio ; ut in hæc verba proruperit : *Postquam Christus suo me corpore famelicum pavit, cur moror in terra, cur non vinculis expeditus, cum Christo feror in cœlum.* Hoc dicto Conditore suo animam suam reddidit.

XVII. Quod si itaque etiam cum dispendio vitæ bellariis nescio quibus inhiamus, hoc pane ingluviem nostram exaturare adnitamur. Non patrissemus hæc in parte, ut relicta arbore vitæ, ad fructus vetitis manus extendamus, & de arbore scientiæ boni & mali seu de ficis vetitis vescamur. Verendum enim est, ne ut Proto-Patres noster, cum de ligno vitæ edere velimus, in posterum non possimus; quia nunc cum prostat participare nolumus. *Timendum* inquit D. Hilarius, *ne diu abstractus à Christi corpore, alienus remaneat à salute.*

D. Hilar.

Non æmulemur Apostatas illas Iudæos, qui de nauisabant manna illud inane delectamentum, & omnem sa-

poris suavitatem in se continens, & ad ollas Ægypti, ad cepas, ad allia, id est carnis commoda, & voluptates respectabant, ne forte à terra promissionis cum iisdem excludamur.

Accumbamus dum possumus, & ut hic concorporei, & consanguinei Christi per participationem corporis ejus effecti in illo obdormiamus, & in altera vita eundem, quem velatum hic suscipimus facie ad faciem visuri in ipsum plenissimè transformemur.

Et ut paucis stringam, quod pluribus disserui, composituri nos ad futuram quietem Cervical conscientiæ nostræ identidem excutiamus; in vinea Domini sabaoth, impigrè desudemus; cibo vitæ æternæ nos frequentissimè saginemus.

Ita credo futurum ut in illo ultimo articulo nobis ipsimet cum regio Psalte intonemus In pace, in id ipsum dormiam, & requiescam. *Fiat.*

